



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno DCXLIX. ad annum DCLXXVI.

**Parisiis, 1644**

IV. Qualiter metropolitanus suis confinitimis, aut confinitimi metropolitano suo placitum faciant.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15300**

vt rectitudinis regula ponatur in ecclesiastico ordine, tantum necessarium est ea excogitare & ordinare, quæ clementissimo domino nostro Reccesuintho regi, fideliumque suorum genti, aut patriæ debeant prosperitatem afferre. Ob hoc ergo instituit hoc sanctum Concilium, vt quandocumque eum causa ingredi fecerit contra suos hostes, vnusquisque nostrum in ecclesia sua hunc teneat ordinem; ita vt omnibus diebus per bonam dispositionem sacrificium omnipotenti Deo, pro eius suorumque fidelium atque exercitus sui salute offeratur, & diuinæ virtutis auxilium impetretur, vt salus cunctis a Domino tribuatur, vt victoria illi ab omnipotenti Deo concedatur. Tamdiu hic ordo tenendus est, quamdiu cum diuino iuuamine ad suam redeat sedem. Quisquis huius institutionis modum implere distulerit, sciat se a suo metropolitano esse excommunicatum.

## IV.

Postquam fidei nostræ credulitas est manifesta, illa inferenda curauimus, quæ rectitudinem faciant in ecclesia sancta. Cœtus ergo nostræ vnanimitatis hoc inferendum esse curauit, vt tempore quo metropolitanus in ecclesia Dei fuerit ordinatus episcopus, placitum in nomine suorum comprovincialium episcoporum faciat; vt caste, sobrie, recteque viuat. Similiter, & quando confinitimi episcopi in ecclesiis quibus præesse potuerint fuerint ordinati, placitum faciant in nomine episcopi sui metropolitani, vt caste, recte, & sobrie viuant. Quod si iuxta canonicam sententiam, per voluntatem

tem



tem metropolitani, atque informationis eius epistolam, per regiam iussionem, ab alio metropolitano aliqui fuerint ordinati; tempore quo ad metropolitanum suum post suam venerint ordinationem, tale placitum non differant facere. Quod si distulerint, tamdiu quisquis ille excommunicatum esse se nouerit, quamdiu impleat ordinem bonæ institutionis.

## V.

o Iuxta canonicum ordinem, tempore quo Concilium<sup>s</sup> per metropolitani voluntatem & regiam iussionē electum fuerit agere, omnes confinitimos episcopos in vnum oportet adesse; nec pro tali re quælibet causa opponi debet ad excusationem. Quod si contigerit aliquem de fratribus<sup>h</sup> retineri ab infirmitate, qualiter non possit venire, aut per regiam iussionem iniunctum acceperit aliquid agere, vt sit per quod non possit Concilio interesse; quidquid tale acciderit, metropolitano suo fideliter intimet cuncta per suam epistolam manu sua subscriptam, vt postmodum quæatur, an excusationem faciat aliquam. Ad suam tamen personam non aliter nisi aut si archipresbyterū suum dirigit, aut, si archipresbytero impossibilitas fuerit, presbyterum utilem, cuius dignitas cum prudentia pateat, a tergo episcoporum inter presbyteros federe, & quæque in eo Concilio fuerint acta scire, & subscribere. Iniustum enim hoc accipit cœtus noster, vt quisquam episcoporum<sup>i</sup> diaconum ad suam personā dirigat. Hic enim quia presbyteris iunior esse videtur, sedere cum episcopis in Cōcilio nulla ratione